

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

nanciscimur. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum &c. 1. Joh. 5. v. 21.

Per *pœnitentiam* accipimus liberationem, vel ad minimum levamen, in temporalibus pœnis, ut Ninivitarum exemplo constat, Joh. 3. v. 10. Idè ipse Deus ait: Repente loquar adversus gentem &c. Jer. 18. vers. 7. 8.

Per *pœnitentiam* potimur tandem vitam æternam, non quidem *ratione meriti*, sed *ratione medi*, quia medium illud est à Deo ordinatum, per quod bona sua nobis promittit, *unicè propter Christum*, quem peccator pœnitentiam agens, verà fide apprehendit. Fides enim est quasi *anima pœnitentia*, & quicquid non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. v. 25.

Idè pœnitentiam nobis fideliter commendatam habeamus, ne desperemus, si ex infirmitate humanam, delicto aliquo præoccupati fuerimus, sed in tempore resipiscentes, de admissis peccatis doleamus, & Christum, qui peccata nostra expiavit, verà fide apprehendamus, sic ille miserebitur nostri,

mundabit iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, Mich. 7. v. 18.

-- Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam &c. Ezech. 18. vers. 21.

S. Ignatius memorat, quod peccatori cum desperatione conflictanti, Christus apparuerit, qui ostensis ei vulneribus, dixerit: Ecce desperatione te perditurus es: ecce! hæc vulnera propter te accepi, & si hæc non sufficiunt, adhuc semel pro te moriturus sum.

Idem animus adhuc hodie Servatori nostro est, in omnes peccatores, qui serià pœnitentià ad eum redeunt: propterea nemo desperare debet, licet peccata sua sint velut arenæ maris. Verum enim manet, quod Paulus ait: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, & sicut regnavit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum, Dominum nostrum, Rom. 5. ult. Cui sit laus & gloria, in secula! Amen.

Dominica XII. post Trinitatis.

Evangelium Marc. 7. v. 31. — 37.

EXORDIUM.

CUm Deus ter Opt. Max. universam hanc mundi machinam absolvisset, valdè id ei probatum est: Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, Gen. 1. 31.

Quando præclarum illud miraculum, quod Christus in *μικροβόλον*, videlicet in furdo & muto, tanquam magister sanationum patravit, intuemur: illud eodem ferè encomio concluditur, dum populus sum-

mà cum admiratione in hæc verba erumpit: Omnia bene fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Hoc ex re & vero Christo competit. Quemadmodum enim quoad divinam naturam cooperatus est, in *creatione*, & cum Patre & Spiritu sancto, totam hanc universitatem ex nihilo produxit, ut dictum fuerit: Omnia valdè bona. Unde dicit: Pater meus operatur, & ego operor, Joh. 5. 17. Sic

R r

etiam

etiam in diebus carnis suæ virtutem suam exeruit in *reparatione*, quod & non cessat facere in *regeneratione*, ut crepti de potestate tenebrarum, Col. 1. 13 qui naturam sumus filii iræ, Eph. 2. 3. filii Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi, Rom. 8. 16. 17.

Primo creationis die, dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, ut refert Moses, Gen. 1. v. 3. Idem de Christo dicere possumus, Venit enim in mundum, ut vera lux, Joh. 1. v. 9. ut omnis, qui credit in eum, in tenebris non maneat, Joh. 12. v. 45. sed habeat lumen vitæ, Joh. 8. v. 12.

Secunda die fecit firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum: id erat valde bonum. Sic & bonum est, quod Christus nobis *firmamentum*, sive *firmam mansionem* in domo patris cœlestis paraverit, Joh. 14. v. 2. ut cum Paulo dicere possimus: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, &c. 2. Cor. 5. v. 1.

Tertio die creavit Deus herbam virentem, lignumque; faciens fructum, id erat valde bonum. Ita etiam bonum est, quod Servator per Evangelii concionem nos in pascuis herbosis pascit, Psal. 23. v. 2. quod juxta alimoniam temporalem, & ratione animæ cibamur. Non enim solo pane vivit homo, &c. Matth. 4. v. 4.

Quarto die creavit Deus luminaria cœli, solem, lunam & stellas. Et hoc quoque bonum erat: Sic non minus bonum est, quod Christus in Ecclesiâ quotidie dat, quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Evangelistas, alios verò Pastores & Doctores, Ephes. 4. v. 11. hi sunt luminaria mundi, Matth. 8. v. 14. & spiri-

tuales stellæ, quas habet in dexterâ suâ, Apoc. 1. v. 20.

Quinto die produxit Deus ex aquis omne volatile & varias pisces, id erat valde bonum. Sic & bonum est, quod Christus baptismum instituit, quo tanquam medio renascimur ex aqua & spiritu, Joh. 3. v. 5. & mutamus virtutem, adscendentes alis, quasi aquila, Esa. 40. v. 31.

Sexto die creavit hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, id æquè bonum erat: Sic & valde bonum est, postquam imaginem Dei per peccata amisimus, quod Christus eandem reparavit, nosque ad vitam æternam renovavit, hinc revelatâ facie, gloriam Domini, tanquam in speculo recipientes &c. 2. Cor. 3. v. 18. Merito itaque beneficia hæc cum populo in Evangelio celebramus, dicentes: Omnia bene fecit.

Nos absque ulteriori præloquio, ad ipsam Evangelii enucleationem progrediemur, meditaturi ex eodem:

I. Ἀρσενάριον, sive *notitiam nostris*.

II. Χριστολογία, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum magna sunt opera Domini, investigata in omne beneplacitum eorum, laus & magnificentia sunt opus ejus, Psal. 111. 2. 3. Sic è contrario Satanæ opera tetra & abominanda sunt. Hujus rei luculentum testimonium in homine habemus, qui initio ad imaginem Dei creatus est: postquam imaginem illam Dei perdidit, Diaboli mancipium factus, etiam forma mutata est, ut Adam filios genuerit non ad Dei, sed suam imaginem, Gen. 5. vers. 3.

De

De Protomartyre Stephano legimus, quod omnes, qui in concilio sederunt, faciem ejus, tanquam faciem Angeli viderint: id inde fuit, quia interna Dei imago, nimirum justitia, sanctitas, gaudium spiritus, per fidem in Christum, è facie ejus eluxit. Hoc opus Dei fuit. Contrà de Caino memoratur, quod facie tetrâ & deformi fuerit, Gen. 4. v. 6. Hæc satanæ imago erat, quæ per vultum judicabatur.

Intuemini Dilecti! miseræ speculum in Evangelio, hominem surdum & mutum, sed & contemplamini eundem à Christo sanitati restitutum. Antea neque audire neque loqui poterat: sed postea Servator ei aperuit aures, solvitque vinculum linguæ; hoc discrimen inter opera Christi, & opera Satanæ est, quod probè à nobis notari debet.

Αὐθροπολογίαν sive notitiam nostri, qui hic discere cupit, consideret

1. *Surdum patientem.* Excunt enim Christo de sinibus Tyri & Sidonis adduxerunt surdum & mutum. Sic nulla calamitas sola.

Utraque hæc miseria meritò deploranda est: Surdus enim audire nequit, quæ salutis suæ inserviunt. Mutus verò linguâ suâ laudes Dei personare non potest, jure itaque miserimus hic homo censendus erit.

Cum Angelus Raphaël cæcum Tobiam salutaret, & diceret: Gaudium tibi sit semper! Respondit Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video, Tob. 5. v. 11. Atqui, cæcitas, respectu hujus defectus, beneficium dicendum est. Ille enim verbum Dei audire, ex eoque fidem, quæ ex auditu est, haurire valet. Præterea linguâ suâ Deum invocare, & per orationem cum Deo colloqui,

quod utrumque ab hoc homine muto & surdo fieri nequit, quis igitur miseriam ejus satis enarraret?

Hic probate, mi Christiane! an hoc unquam rectè animo tuo revolveris, Deoque gratias egeris, quod ab hoc malo te custodierit, & ut linguâ & auditu tuo uti possis, tibi concesserit.

Cum homuncionibus nobis ita comparatum est, ut bona non agnoscamus, donec ingratitude nostrâ ea amiserimus, tunc demum ingemiscimus: Cogitavi dies antiquos, Pl. 77. 6. E.g. Dedit Deus homini aures, ut iisdem audire debeat, propterea quærit Hiob: Nonne auris verba dijudicat? Job. 12. v. 11.

Quid verò audiemus?

1. *Sacras conciones.* Ad has audiendas in ædem Dei confluere debemus, non verò velut Herodes, Marc. 6. 20. neque ut Eutychus, Act. 20. 9. verum studio discendi, ut animæ salutis proficiat. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, Eccl. 5. 1. Sir. 4. 1.

2. *Salutares admonitiones.* Naturam enim ignoramus, quid facere aut omittere debeamus: sed gradimur in viâ non bonâ post cogitationes nostras, Esa. 65. v. 2. Imò, licet in viâ rectâ simus, tamen sæpè discentes tantum sumus, nunquam verò ad veritatem pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. idè ecclesiæ pastores semper arguere, obsecrare, exhortari tenentur, opportunè, importunè, 2. Tim. 4. v. 2.

Has admonitiones non surdis auribus haurire debemus, sed præpositis nostris obedire & parere, quia pervigilant pro animabus nostris, Heb. 13. 16.

Deinde Deus homini quoque orationem tribuit, quâ solus inter cæteras animantes articulatè loqui, & animi sui sensus indicare potest.

R 1 2

Exem-

Exempla quidem obvia sunt, quod & bruta quandoq; locuta sint, ut Afinus Bileam, 2. Petr. 2. v. 16. Num. 22. v. 18.

Præterea & aves nonnullæ informari possunt, ut sermonem hominis imitentur. Sed nulla inter earum loquelam & hominis orationem comparatio est, quæ character animi vocari potest, Matth. 12. 34. Quamvis enim illæ verba hominum imitari possint, tamen ea sunt *sine mente sonus*, quem ipsæ non intelligunt.

Utrumq; magnus thesaurus est, qui cum nullis mundi divitiis comparari potest. Utrumque à Deo est, qui fecit os hominis, Exod. 4. 11. & aurem plantavit, Ps. 94. 8.

Sed quæ Deo pro beneficiis his exhibentur gratiæ, experientia satis probat, ut propterea lingua, quæ nobilissimum hominis membrum est, cum Æsopo rectius *Optimum pessimum* appellari possit. Optimum; si utiliter adhibeatur: Pessimum; quando ad varia peccata in Deum & proximum abutamur. Quid enim familiarius est, in hac mundi senectâ, quàm maledictiones, imprecationes, perjuria, mendacia &c. Flagelli plaga livorem fecit, Sir. 28. v. 21.

Idem de auditu dicere possumus. Quando enim in ecclesiâ docetur, quomodo sanctè vivere, patienter mala sustinere & beatè mori debeamus, surdo narratur fabula, ut Esaïæ querela hic locum inveniat: Vides multa neq; observas! Esa. 42. v. 20.

Quando flagitia in ecclesia corripuntur, plurimi nihil ad se attinere arbitratur, instar adulteræ, qui tergens os suum dicit: non sum operata malum, Prov. 30. 20. sic nemo vult erubescere, Jer. 3. v. 3.

Sic & consolatione ad securitatem abutuntur, cogitantes: Misericordia Domini ma-

gna est, multitudinis peccatorum meorum miseretur, Sir. 5. v. 6.

Horum conditio multò deterior est, quàm surdi & muti in Evangelio præsentæ. Rectè enim Menander: *præstat corpus quàm animam agrotare*. Corpus enim terra est, & in terram revertetur, Gen. 3. v. 19. Spiritus verò revertitur ad Deum, qui dedit eum, Eccl. 12. v. 7. *Omnia nobis dupliciter dedit Dominus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; si igitur horum alterum ledatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam vero unam tantum dedit, si hanc perdidimus, quâ quâso vivemus?* ait Chrysoft. Matth. 16. v. 26.

II. *Plebem adducentem*. Adducunt enim ei surdum ac mutum, & deprecantur eum, ut imponat illi manum. Hoc opus erat Christianæ caritatis, quæ compatiens, proximi miseriæ miseretur, 1. Cor. 13. 17.

Hic velim examines te, utrum & ipse surdos & mutos aliosq; id generis infirmos, hoc modo respexeris, eorumq; miseriam serio commotus fueris?

Exempla talia rara sunt in hac mundi fece. Experientia potius testatur, miseros hujusmodi homunciones iniquè, velut improbos traduci & derideri, quos natura non temerè ita notaverit, sicut jam tum suo tempore innuere voluit Horatius:

Rarò quippe boni, quos sic natura no-
Et Martialis: (tavit.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lu-
mine luscus,

Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Idem adhuc hodie ita fit. Sed grande peccatum est. Qui subsannat pauperem, exprobrat factori ejus, Prov. 17. 5.

Veri

Veri Christiani exemplum horum in Evangelio hominum imitentur:

1. *Condolendo.* Sumus enim membra unius corporis, quorum hæc natura est, ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. quod & nos facere debemus, flentes cum flentibus, Rom. 12. v. 15.

Ad hoc commovere nos debet exemplum Patris cœlestis, qui nostra miseria tantopere affectus est, ut proprio filio non pepercit, quo nobis salutem procuraret, Rom. 8. v. 32. Quin adhuc quotidie irritata est anima ejus, super miseria Israelis, Jud. 10. v. 16. Idcirco idem faciamus erga proximum, alias spurii, & non filii sumus. Heb. 12. v. 8.

2. *Intercedendo.* Homo ærumnosus in Evangelio surdus erat, nec animi sui sensa profectus valebat, ideo turba ejus commiseratione mota, intercedendo causam illius agit.

Hoc adhuc hodie officium nostrum requirit, Orate pro invicem, ut sanemini, Jac. 5. v. 16.

Nos spirituales fratres & sorores invicem sumus: habentes unum Domium, unam fidem, unum baptismum, Eph. 4. vers. 4. unam Eucharistiam, 1. Cor. 10. v. 17. unam hæreditatem in cœlo, 1. Pet. 1. v. 4. Quidni igitur pro nobis invicem intercederemus? Certe qui hoc non facit, segregat se à Christianorum communione, & pertinet in synagogam satana, ubi non orant, sed maledicunt, Apoc. 3. v. 9.

Huc pertinent compluria sanctorum exempla. Abraham intercessit pro Sodomitis, Gen. 18. v. 24. Loth pro oppido Zoar, Gen. 29. v. 20. Isaac pro Rebecca, Gen. 25. v. 21. Moses pro Israelitis, Exod. 32. vers. 11. ut &

Propheta Samuel, 1. Sam. 12. v. 17. Daniel pro Judæis in captivitate degentibus, Dan. 9. v. 4. Christus ipse pro fidelibus, Joh. 17. v. 9. & pro Apostolis, Luc. 22. v. 32. & in cruce, pro crucifigentibus, Luc. 23. v. 33. Stephanus pro lapidantibus, Act. 7. v. 60. Ecclesia pro Petro incarcerato, Act. 12. v. 5. Paulus pro comitibus suis, Act. 27. v. 35.

Hæc exempla imitari debemus, ut similiter pro confratribus nostris in miseria constitutis oremus, non modo publice in Ecclesia: sed & privatim in cubiculo nostro. Dilectio enim, quæ per preces, & alia beneficia proximo succurrit, est verum signum, quo genuini Christiani cognoscuntur, Joh. 13. v. 35.

III. *Chorum applaudentem.* Quanto enim eis Christus præcipiebat, tanto magis & plus prædicabant: & supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Sine dubio, hic mutus & surdus, cum reliquo choro, recuperata loquela concinuit, Deoque pro hoc beneficio gratias agit! juxta illud: Sacrifica Deo laudem, Psal. 50. v. 14. 24.

Hic velim probes te, mi Christiane! utrum & ipse morbo liberatus, Deo tuo gratias cecineris?

Hoc ipsa æquitas requirit. Honora medicum propter necessitatem, ait Siracides, c. 38. v. 1. Quomodo & Naeman gratum suum animum erga Elisam declarare voluit, 2. Reg. 5. v. 15.

Quanto magis nostri officii erit, in voce laudis immolare Domini, & quæcunque volumus reddere salutem Domini, Joh. 2. v. 10

Sed plerumque morbo emersi hodie deteriores fiunt, juxta adagium: Da der Kranke genas, se ärger er was.

Crates Thebanus ejusmodi testamen-
tum fecit: *Ponite coquo minas decem, medico
drachmam, assentatori talenta quinque, Con-
siliario fumum, meretrici talentum, Philoso-
pho triobolum.*

Alexander M. Glauco Med. quia amicus
suus Hephæstion moriebatur, quamvis sibi
ipsi adversus Medici consilium interitum
attraxisset, cruci affigi iussit.

Idem Servatori nostro accidit, ut ple-
rumque ingratitudinis messem, pro fideli
sua curatione metat. Imo sunt, qui ipsum
denovo crucifigunt, Heb. 6, 6. & sanguinem
testamenti pollutum ducunt, in quo san-
ctificati sunt. Heb. 7. v. 30.

Quando Menecrates Medicus Syracusanus,
quendam sanitati restituebat, promit-
tere ei tenebatur, quod pro Jove eum habe-
re & venerari vellet. Hæc nefanda erat tem-
eritas, & temeraria impietas. Sed Servatori
id optime convenit, qui propterea lan-
guores nostros tulit, & dolores nostros
portavit, Esa. 53. v. 4. ut ex miraculosa ejus
curatione agnoscere debeamus, se verum
esse sanatorem, Exod. 15. v. ult. & magistrum
sanationum, Esa. 63, 1. qui olim Israelitas ser-
mone suo in deserto sanaverit, Sap. 16, 12. &
adhuc hodie omnes ad se venientes sanare
possit, præ multitudine enim fortitudinis &
roboris, virtutisque ejus, neque unum defi-
cit. Esa. 40. v. 26.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem,
ἡμετέρας sive notitiam Domini
nostri Jesu Christi, contemplaturi. Hic no-
bis meditandus proponitur:

I. *Tanquam benevolus gentium visitator.*
Exiens enim de finibus Tyri & Sidonis, ve-
nit ad mare Galilee, inter medios fines De-
capoleos,

Tyrus & Sidon duo emporia fuerunt, ad
mare mediterraneum sita, quæ adeo flouere-
runt, ut negatiatores, principes, & institores
ejus inclyti terræ habitati fuerint, Esa. 23, v. 8.

Eò & Christus pervenit in diebus carnis
suar, & postquam pensum suum ibidem ab-
solverat, Judæam repetiit. In quo itinere fi-
nes Decapoleos attigit. Hæc regio erat Ca-
lesyriæ ultra Jordanem, ad mare Galileæ,
quæ à decem civitatibus, non multum ibi
inter se distantibus, ita appellata fuit.
Quarum & Gadara una, ubi cives pro-
brose ipsum tractatum, è finibus suis ejece-
rant, quia diaboli, permissu ejus, gregem
porcorum pascentium, in mare præcipitem
egerant, Matth. 8. v. ult. Jam eo revertitur,
hoc ipso indicans, se nolle interitum ullius,
sed velle, ut omnes ad agnitionem veritatis
perveniant, & æternum salventur. 1. Tim. 2.
v. 4.

Imprimis eo indicavit, gentiles quoque
regni sui consortes esse, & beneficiorum
suorum compotes fore, si ipsi modo velint.
Propterea dicitur, desiderium omnium
gentium, Hagg. 2. v. 8. Sicut & statim post
resurrectionem suam Apostolos ablegavit
in universum mundum, cum expresso man-
dato: Ite in mundum universum, & docete
omnes gentes. Matth. 28. v. 19.

Hoc nostro quoque solatio inservit.

Ante octingentos enim vel nongen-
tenos annos nostri Majores in Gentilismo
vivescentes, verum Deum non agnoverunt:
sed gloriam ejus mutaverunt in similitudi-
nem imaginis corruptibilis hominis, & vo-
lucrum, & quadrupedum, Rom. 1. v. 23.

Antiqui Germani Martem & Mercuri-
um pro Diis habuerunt, in quorum hono-
rem liberos suos macerant, & ad conte-
standum zelum suum eorum sanguinem
bibe-

biberunt, ut Historiæ referunt. Sed Christus Servator noster, qui hic fines Gentilium visitavit, nos quoque tandem accessit, & illuminavit sedentes in tenebris & umbra mortis, Matth. 4, 16. Ut jam non hospites simus & advenæ, sed cives. Eph. 2, 19.

O beatos nos! Si hoc agnoscimus, non ambulantes in ethnicis prioribus desideris, sed ad voluntatem ejus, qui de tenebris vocavit nos, in admirabile lumen suum, 1. Pet. 2. v. 9.

Caveamus igitur, ne nomen tenentis duntaxat Christiani simus: ne accinatur nobis: Nomen habes, quod vivas, & mortuus es, Apoc. 3. v. 1.

Potius secundum eum, qui vocavit nos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti simus, 1. Pet. 1. v. 15. Sic bono animo esse possumus, in omnibus hujus vitæ ærumnis. Christus enim, à quo nomen gerimus, præiit nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, 1. Pet. 2, 21. Ideo certissimi sumus, quod si commortui fuerimus, & convicturi simus, 1. Tim. 2. v. 11. Nam ubi ego sum, illuc & minister meus erit, ait Servator, Joh. 12. v. 26.

II. *Tanquam felicissimus egrotorum curator.* Hic audimus, quod apprehenderit surdum & mutum de turba seorsim, miseris digitos suos in auriculas ejus; & exspuens tetigerit linguam ejus: & suspiciens in cœlos ingemuerit, & dixerit illi: Ephata, quod est, aperire. Et statim aperta sunt aures ejus, & solutum sit vinculum linguæ ejus, & locutus sit recte. Alias Christus solo verbo vel contactu infirmos restituit & mortuos quoque resuscitavit: sed hic certis ceremoniis utitur, quo indicat, se æque per media, ac sine mediis sanare posse.

Ad hunc igitur cum turba Evangelii præ-

sentis confugiamus, ejusque auxilium & consilium imploremus, Domini enim est salus, Psal. 3. v. ult.

Huc invitare nos debet:

1. *Prona voluntas*, sicut enim hic muto & furdo promte succurrit: sic & nobis promittit: Antequam clament, ego exaudiam, Esa. 65. v. 24.

Id quod probavit in Rege Hiskia, cui post annūciatam mortem, ad preces ejus ardentes, quindecim annis vitam suam prolongavit, Esa. 38. v. 6. 2. Reg. 20, 6.

Adhuc hodie prope timentes salus ejus, Psal. 85. v. 10. *Neminem spernit, neminem abjicit, neminem perhorrescit, nisi forte quis amens ipsum exbarruerit*, ait Augustinus. Ideo cum Davide dicere possumus: Ego in misericordia tua speravi, Psal. 13. v. 6.

2. *Magna facultas*, Nullus Medicus in toto orbe erat, qui miserum hunc hominem sanare potuerit. Sed Christus extempore, vi omnipotentis dexteræ, ipsi auditum & orationem restituit, neque enim impossibile est apud ipsum omne verbum, Luc 1. v. 37.

In Ægypto olim consuetudinis fuit, ut singulis morbis, singuli Medici attributi fuerint, ut hic pestilentiam, ille febrim, ille phthisin curarent. Christus vero omnia est in omnibus, 1. Cor. 15, 28. Liberavit servum Centurionis à paralyti, Matth. 8. v. 7. Petri focrum à febre, Matth. 8. v. 15. Mulierem à sanguinis profluvio, Luc. 8. vers. 43. Restituit hominem, manum habentem aridam Matth. 12. v. 9. Hominem ad piscinam Bethsaida, triginta & octo annos habentem in infirmitate sua, Joh. 5. v. 5. seqq. Summa: Nulla est calamitas, angustia nulla, ubi non opitulari possit, & quidem superabundanter, quam petimus, aut intelligimus. Eph. 3, 20.

Gau-

Gaudio hinc exulta, mi Christiane! nec reproba increpationem Domini, quia ipse vulnerat, & medetur, Hiob. 5. v. 18.

III. *Tanquam absolutissimus cunctorum rector.* Hoc testimonium impetrat à turba in Evangelio, supra modum enim stuebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

In V. T. quasi in proverbium abierat, quod solus Deus omnia benefaciat, Psal. 111. v. 3. Sed hic ad Christum id applicant, eoque gloriam divinæ sapientiæ & omnipotentia ei attribuunt, quæ non nudo homini conferri potest: Quamvis enim & homines quandoque benefaciunt. Sicut Moses, magnus ille Dei amicus multa bene fecit, sicut & David, vir & cor Dei, & Salomo Regum omnium sapientissimus: Attamen non omnia bene fecerunt. Deus solus justus est. Quis sufficit enarrare opera illius: Sirac. 18. v. 2. seqq.

Salomo in senectute sua peccavit per idololatriam, 1. Reg. 11. v. 6. David rebus secundis per adulterium & homicidium, 2. Sam. 11. v. 4. Moses per diffidentiam. Num. 21. v. 31. Sed de Christo hic dicitur, quod omnia bene fecerit, *hic digitus Dei est!* Luc. 11.

Intuemini *opus creationis*, & perpendite, quomodo cælum extenderit, & contignaverit aquis, terramque fundaverit super basin suam, Psal. 104. v. 3. 5. A summo cælo egressio Solis, & circuitus ejus, usque ad extremitatem ejus: nec est, qui se abscondat à calore ejus. Psal. 19. v. 6. 7. Luna crescit & mutatur, & discernit menses, & ostensio est temporis, & signum ævi, Psal. 136. v. 9. Sir. 43. v. 6. Homo ad imaginem Dei conditus erat, in vera justitia & sanctitate. Eph. 4. v. 24. Et ut denuo ingeminem: Omnia erant valde bona, Gen. 1. vers. 31.

Quod vero Angeli quidam, & homines quoque imaginem Dei deperdiderunt, & non amplius in ea felicitate versantur, in qua à Deo creati sunt, id à peccato est. Deus enim mortem non creavit: sed invidia diaboli, &c. Sap. 2. v. 24.

Inde quoque periculum oritur, de bestis, serpentibus, aspidibus, scorpionibus & variis insectis, ut & herbis venenatis, & id generis aliis: Licet enim ea omnia Deus ratione essentia bona, & ad hominum ministerium creaverit: tamen post lapsum nocifera facta sunt, cum ob abusum, Rom. 8. v. 20. tum ob divinam maledictionem, Gen. 3. v. 19. quorum ratione jam vindictæ inservire tenentur, Sir. 30. v. 32. 33.

Speciate *Opus redemptionis*, & considerate, quomodo Christus, ceu alter Adam, omnia bene fecerit, & restituerit, quæ primus Adam male fecerat, & corruerat, Rom. 5. v. 19. Frater redimendo non redimere poterat quenquam, Psal. 49. v. 8. 9. Sed Christus amavit animam nostram, Esa. 38. v. 17. & quæ non rapuit, exolvit, Psal. 69. v. 5. ut à potestate tenebrarum liberati, in regnum lucis transpositi simus. Col. 1. v. 13.

Augustinus de hominibus dicit, quod plus ament verbis, quam operibus: Christum vero è contrario plus amasse operibus, quam verbis. Quamvis enim multas præclaras conciones habendo, verba vitæ affatim labiis suis sanctissimis disseminavit, Joh. 6. vers. 68. tamen nec cætera ejus membra otiosa fuerunt. Oculis suis amiferis peccata nostra deflevit, Luc. 19. v. 41. Auribus benevolis preces non contempsit invocantium. Luc. 18. v. 4. Pedibus suis sanctissimis passim pertransiit, benefaciendo & sanando omnes à diabolo oppressos, Act. 10. v. 38. Manibus miraculosis agrotos san-

sanavit. Corde suo benedicto, mundum dilexit, Joh. 3. v. 16. Imo toto in corpore nullum membrum fuit, quod non percussum, afflicto, vulneratum & attritum fuerit, quo livore ejus sanaremur, Esa. 53. 5.

Quid igitur est, quod debuit ultra nobis facere, quod non fecerit? Esa. 53. 4.

Considerate opus miraculose ejus providentia, & gubernationis? quomodo mirificet sanctos suos, Psal. 4. v. 4. per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, 2. Cor. 6. v. 8. ut tamen Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. 28.

Id probant exempla Josephi, Davidis, Jobi, Gen. 50. v. 20. 1. Sam. 18. & seqq. Job. 1. v. 42.

Hoc etiam nostrum solatium esto in hoc mundo! Dominus omnia bene fecit, ideo & porro faciet, neque nos patietur tentari, supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13.

sed eripiet & glorificabit, & ostendet salutare suum, Psal. 91. v. 15. 16. Nempe in vita aeterna, ubi verificabitur: Ecce omnia facio nova! Act. 21. v. 1. Bene facio cum corporibus, prae claritate enim coruscare debent, 2. Cor. 15. v. 41. Bene facio cum animabus, plenae enim sapientiae erunt. 1. Cor. 13. v. 10.

Confide igitur, mi Christiane! Christus enim ex morte quoque bonum quid elicuit, ut illa non perditio nobis sed lucrum futura sit, Phil. 1. v. 21. nobisque fores pandat ad regnum caelorum, Joh. 5. v. 24. ubi non amplius moriemur, sed in aeternum vivemus, Sap. 5. v. 16. & fulgebimus ut firmamentum, Dan. 12. v. 3. imo, velut Sol in regno Patris in aeternum, Matth. 13. v. 43.

Fiat id per Christum JESUM, Salvatorem nostrum, Amen.

* * *

Dominica XIII. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 10. v. 23. --- 37.

EXORDIUM.

Quando Sapientissimus Regum Salomo Deo Israelis templum exstruit, inter alia idem fenestris quoque ornavit, quae fuerunt *perspicuae clausae*, sive interius amplae, exterius vero angustae, 1. Reg. 6. v. 4.

Haec mystice intelligenda veniunt.

Templum Salomonis *trifariam* distinctum fuit. In frontispicio fuit *atrium*, quod cuique accedere licuit. Deinde sequebatur *Sanctum*, in quo cultus divinus perficie-

batur, & tertio *Sanctum Sanctorum*, quod nemini ingredi concessum, nisi summo Pontifici, & quidem anniversarie semel tantum, nec sine sanguine.

Sic etiam Numen divinum *habitationi hominum triplicem locum* definivit.

1. *Mundum*, hic quasi *atrium* est, in quo boni & mali permixti sunt. Deus enim fecit homines, quasi pisces maris, & quasi roptile non habens principem, Hab. 1. v. 14. Interea caeli enarrant gloriam Dei, Psal. 19.

Sf

v. 28.